Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 163

Quelle:
Copyright:

tus et rubricis distinctus, ab Homine Sec. XVI. in PP. literatura minus versato, cujus nomini parco, erasis prioribus Inscriptionibus *Eucherio Lugdunensi* perperam adtributus, continet *Ruperti Abbatis Tuitiensis* Sec. XII. Scriptoris *Commentaria in IV. Prophetas majores et Volumen Evangeliſtarum*, quae partem *Librorum* Ejus XLII. *de Operibus SS. Trinitatis* constituunt. A *fol.* 1. usque ad *fol.* 14. habetur *Elenchus Capp.* qui in *Edit.* noviſſ. *Venetiis.* 1748. T. I. p. 478. f. Capitibus ſingulis praefixus eſt. *Fol.* 14. *Incipit Liber in yſaiam Primus. Prefatio I. Omnis Anima quę chriſtum diligit* &c. *Fol.* 36. *Explicit. Liber I. Incipit. Liber in Eſayam II. Capitulum. I. Quarta* (ae) *Perioches caput lucidum* &c. Verba extrema: *Adeo non deus recens eſt hic deus noſter.*

Fol. 65. *Incipit in Jeremiam. Primus.* C. I. *Quinte Etatis Seculi Crepuſculum* &c. Finis: *beatus qui retribuet tibi retributionem tuam.* Eſt vero Liber tantum unicus.

Fol. 95. p. 2. *Incipit in Ezechyelem primus.* C. I. *Hac Mundi Etate quinta* (quam) *precedente Volumine ſumus ingreſſi* &c. *Fol.* 121. p. 2. *Explicit Liber I. Incipit in Ezechielem.* II. *Caput.* I. *Quoniam Celeſtia de quibus ſupra loquebamur* &c. Finis: *videbimus Deum Deorum in Syon.*

Fol. 142. *Incipit in Danielem. Primus. Capitulum.* I. *Aperiente Chriſto cujus in hoc Opere Myſteria querimus* &c. Definit: *Animum parva recreatione reparantes.* Rurſus eſt Liber ſingularis, cui tamen etiam a C. XIX. Prophetiae *Aggaei, Zachariae* et *Malachiae* intextae ſunt.

Fol. 160. ſequuntur *Commentaria in Volumen IV. Evangeliſtarum* hac nuda Epigraphe: *Incipit. Liber* (Corruptor hic *Primus* reſcripſit) *Capitulum. I. Sexta Mundi Etate Chriſtus Dei filius* &c. Finis: *Optimam partem elegit que non auferetur ab ea.* Unicus iterum Liber. Itaque nugas egit, qui C. XXIX. ſuperſcripſit: *Liber ſecundus*, Capitumque trium ſequentium numeros mutavit.

Ne igitur quem in errorem inducat *Bibliotheca Geſneri* Expoſitionem *Eucherii in Eſaiam, Jeremiam* &c. inter *Codd. Bibl. Imperialis* haberi adſerens. Fucum enim fecit doctis Helvetis Sciolus noſter epiſtolio ad *Nic. Epiſcopium* dato, quod etiamnum Codici noſtro praefixum eſt. Quanquam, ſi hunc inſpexiſſet diligentius, vel *Gregorius* M. *fol.* 96. citatus illum ab *Eucherio* avertere debebat. Duo ſubjungo: *Rupertum* noſtrum pertinuiſſe olim ad Coenobium *S. Mariae Gottvicenſe* et praetenſum illi eſſe Folium *Calendarii* coaevi *Auguſtum* integrum cum parte *Julii* et *Septembris* complexum.

LXVIII. VII. C. 12

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 447. f. per duas columnas currente calamo exaratus, olimque a *Wenceslao Roſſa Chrudimen-* 169